

π k
5138



B.
h



B. N. II, 363^a

h. 71, 3.



DISSERTATIO POLITICA
DE
REPRESSALIIS,

Quam
Benevolo Senatus Philosophici Lipsiensis
indultu

P R Æ S I D E

M. FRIDERICO NITZSCHIO,
DRESD.

In Illustri Giessena Mathematicum
Prof. Publ. Designato,

Eruditorum submittit Examini

AUTOR-RESPONDENS

GEORGIUS Kiedel à Leuenstern /

VII. Kalendas Aprilis cl^o Id^o LXVIII.

H. L. Q. C.

LIPSIAE,

Literis JOHAN-ERICI HAHNII.

29.



Ab. N. 22.



PRÆSIDI
ET
CONSULIBUS
MAGNIFICIS NOBILISSIMIS
CUM SPLENDIDO SE-
NATUS ORDINE

AUGUSTISSIMÆ
REIPUBLICÆ WRATISLAVIENSIS
UNIVERSO,

PATRIBUS PATRIÆ
SACRUM.

P.

GEORGIUS RIEDEL à Leuenstern.



PROOEMIUM.

§. I.

SI communia essent omnia, nec rerum introducta proprietas, tunc mirum quidem non esset, si ex raptu viveretur, nec hospes ab hospite tutus esset, ut *Poëta* dicit *l. 1. Metamorph. v. 144.* Esset enim omnibus æquale jus in omnia, unde duorum versus eandem rem appetitus non posset non mutuas gignere rapinas, & latrocinia. *Vide CL. Pufendorf. l. 11. Element. Jurispr. Univers. obs. 3. §. 6. Hobb. de Cive c. 1. §. 12. Bodin. l. 1. de Rep. c. 2.* At verò cum nullus ejusmodi status unquam extitit, nec forsitan unquam exstiturus est, ideò nec licuit unquam tale vitæ genus, nec licere etiam potuit.

§. 2. *Hobbius* equidem *de Cive* in hypothese sua cum Stoicis juxta *Lactant. l. VII. c. 4.* & veteribus illis, de quibus *Ovid. l. VII. Metamorph. v. 393. 394.*

— *Hic ævo veteres mortalia primo*

Corpora vulgarunt pluvialibus edita fungis,

homines fungorum more è terrâ enatos supponit, nulla sibi invicem cognatione obstrictos, & *Grotius* etiam *l. II. c. 2. §. 2. de J. B. & P.* communionem quandam primigeniam obtinuisse, cumq; ipso alii affirmant, & *Justinus* sub Saturno Rege *neminem quicquam rei privatæ habuisse, sed omnia communia, & indivisa fuisse omnibus, veluti unum cunctis esset patrimonium* dicit *l. XLIII. c. 1. §. 3.* de quo Saturni regno *Tibull. l. 1. Eleg. 3.* haud absimilia canit

*Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.*

Cui addimus ex Grotio quosdam Americæ populos, aliosq;
& ex Horatio l. III. od. 24. Scythas & Getas, de quibus ita canit Poëta:

*Campestres melius Scythæ,
Quorum plaustra vagas ritè trabunt domos
Vivunt, & rigidi Getæ:*

*Immetata quibus jugera liberas
Fruges & Cererem ferunt:*

Nec cultura placet longior annua:

Defunctumq; laboribus

Æquali recreat sorte vicarius.

§. 3. Verum præterea quod solidissimè ad hæc exempla respondet Magnus Bæclerus in *Comment. ad l. II. c. 2. Grotii p. 43. seqq.* hoc quoq; addimus, non fuisse ibi communio- nem talem, qualis primigenia statuitur, quippe limitatam & restrictam certo regimine, certisq; legibus dispositam, hoc est, non nisi perpetuam rerum, agrorumq; æqualiter dispen- satorum vicissitudinem. Hinc & uti *Grotium* meritò obe- lisco notat *Honos Wittebergæ Zieglerus in Aureis ad eundem Animadversionibus p. 217. & 427. & Magnus Strauch. diss. de Imperio Maris c. 1.* Et suprâ laudatus Bæcl. d. l. p. 37. seqq. ita & Hobbianæ Hypothesi responsū satis est à Celeberrimo *Thomasio nostro §. 45. diss. de Latrocin. Gentis in Gentem & CL. Pufendorffio in l. III. Element. Jurispr. Univers. obs. 3. §. 5.*

§. 4. Utiq; enim dominium rerum cum ipsa creatio- ne introductum est, & proprietas hujus universi à Creatore donata Adamo, vi cujus donationis Adamus totius terrarum orbis constitutus Dominus est, uti evincunt supra laudati Viri cit. II. Neq; enim cum *PræAdamitarum Assertore* ullos hîc *PræAdamitas* fingimus, quibus occupatione præviâ jamjam
jus

jus aliquod fuisset acquisitum. Illi enim ut præter alios satis acutè refutati sunt à *Setho Wardo S. T. D. & in Academia Oxoniensi Astronomiæ Professore Saviliano, in Exercitatione Epistolica in Hobbiæ Philosophiam. Sect. V. c. 1. p. 288. seqq.* Ita si vel maximè per impossibile fingamus eos, nihil tamen exinde in Adami præjudicium concludi poterit propterea, quod tota Terra soli Adamo ejusq; posteris à Deo tradita, ut citra injuriam nullus alius occupare eandem potuisset, ut ut vel maximè exstitisset alius, uti habet *Magnif. Zieglerus dd. ll. Vide & Excell. Felden in Notis ad Grotium p. 220. & si lubet Bodin. l. 1. de Rep. c. 2.*

§. 5. Poterat inquam, si qui talis exstitisset status, illa *ἀνεσία* majori cum jure exerceri. Jam verò cum rerum sit introducta proprietas, & *Meum* atq; *Tuum* accuratissimè omnium definitum, rapinæ certè exulare omnes debent, neq; in possessione eorum, quæ jure possidet, possessor turbandus. Quod si tamen sint, quos nulla juris ratio tenet atq; æqui, remediis certè in ordinem redigendi sunt, iisq; vel ordinariis vel extraordinariis, ne suâ se possessione justè acquisita deturbari pati cogatur injustè læsus. Tale verò Remedium sunt quas dicunt *Repressalias*, de quibus nonnulla exercitii gratia differere animus est, ita tamen ut totam rem in III. dispecamus capita, quorum I. tradet *Definitiones* II. *Principia*. III. verò *Propositiones*. Faxit Deus feliciter!

CAPUT I. DEFINITIONES.

DEFINIT. I.

Remedium est Medicamentum morbo ritè applicatum.

Scholion.

I. Ubi remedium, ibi morbus præsupponitur, dicitur enim I.

enim à *re & medeor*, ut notetur, remedio ad pristinum statum reductionem fieri, morbum depelli, arceri, extirpari, sanitatem restitui, quodque vitio quodam invaluit, inque deterius inclinavit naturam, aboleri & deleri, quæ restitutio uti medicamentis legitimè applicatis fieri solet. Ita remedium non immeritò medicamentum ritè morbo applicatum dicimus.

2. Uti verò morbi maximè varii sunt, ita & remedia non possunt non esse varia. Imminent naturæ, eamque vexant in moralibus æque ac naturalibus, cum interna mala cum externa plurima. Postquam enim ab initio statim gentis humanæ primi omnium hominum parentes præcepta illa divina neglexerunt, non saltem suam posterorumque naturam intimius corruperunt, sed etiam externa habet, quæ vereatur tantum non omnia, adeò ut quocunque oculorum convertat acriem, nihil non in suam quasi perniciem conjurasse videatur. Hinc tot mala *naturalia interna* humani corporis pariter atque animi infirmitates plurimæ, ignorantia, stupiditas, vitiositas sanguinis, partium læsio, humorum pravitas, unde infinitorum morborum fomes ac origo. Hinc tot mala *naturalia externa* in hominis destructionem tendentia, intemperies, & inclementia aëris, noxius insalubrium venenatarumque herbarum pariter atque mineralium usus, tot animalium adversus ipsum insidiæ, &c. vide *Augustin. Epist. 28. ad Hieron. Bellarmin. l. VI. de statu Peccati c. 1. Gerb. Loc. Theol. Tom. 2. Artic. de Peccato orig. c. 8. Phil. in Loc. de peccato. Brev. Hulsm. c. 5. de Lapsu primi hominis suppl. Tb. 2.* Quæ omnia uti naturam humanam vel eversum vel incommodatum eunt, ita & remedia varia adversus ea ars cum natura paravit. Defendit homo se contra animalia, nec id minus jure quia melioris multò quam ipsæ bestię conditionis est, quibus tamen citra injuriam lædere homines licet. *Hobb. de Cive c. 8. §. 10. Puffendorf. def. 5. §. 13. 14. Elem. J. U. & utut imbellis genitus, & imbecil-*

imbecillitas ipsi major est quam ullius alterius animantis *Pufendorff. Elem. Jurispr. Univers. Lib. II. obs. 3. §. 2.* eiqve arma quidem agnata non sunt, aptam tamen armis parandis ac tractandis manum habet. *Grot. l. 1. c. 2. §. 1.* Contra aëris intemperiem tegumentis atqve vestibus se munit; noxias herbas atqve mineralia prudentia discernit; immò habent, quo & interna corporis mala arceant genuini naturæ filii Medici, verum nunc purgant, nunc secant, nunc urunt, prout affectæ partis ratio id exigit, paucis omnem movent lapidem, quò medelam ritè suam applicent, adeoque affectæ corporis parti medeantur. Non minora *in moralibus* imminent mala atqve incommoda interna. Perversam enim semel voluntatem hominis vitiis tantum non immerfam videre licet atqve obrutam. Et uti homo semel in sensum reprobum datus sibi postea relictus, quod ipsi reliquiarum superest justo Dei iudicio penitus facilè amittit. Vide *Excell. Viri Thomasi §. 41. Disp. de Latrocinis Gentis in Gentem*, & sui tantum commodi studiosus est, ita nihil intermittit, nisi quædam obligatio civilis à proposito ipsum abducat, quin alienis inhiet, ea rapiat, & sua faciat. Vide sæpius laudatum *Pufendorff. c. l. obs. 5. §. 1.* Hinc nec meliorem sibi penes alios conditionem futuram sperare potest. Habet enim inde *in moralibus* etiam tot externa mala, quæ solus quidem homo efficit, tam verò urgent quàm ferè reliqua omnia. Insidiatur enim ipse bonis, ipsius famæ, imò haud rarò vitæ, ut verissimum sit illud Scaligeri *Exerc. 33. Non hominem homini Deum, sed lupum, sed bestiam, sed quovis angve pestilentiore esse.* Hinc videas, quos nulla iurium Civilium tenet communio, neque ea modestia esse, ut naturalibus, quibus obligantur, legibus obtemperantes in mutuam perniciem sæpè non conjurasse videantur, & bona, in quæ ipsis haud rarò nullum jus, aliis eripiant. Qui sane morbus uti est maximus, ita sanè remedio quodam ritè applicato quo

5.

6.

7.

8.

9.

quo curetur, opus habet. De quo etiam hic provida natura prospexit. Instituit enim leges saluberrimas juxta *Arist. 8. Eth. I. easque vel civiles*, quibus efficax adjuncta est obligationis causa, quam praesides ipsarum, judicia, exsequuntur, si qui praefracti nolint secundum ipsarum terrorem vivere. **10.** *Vel naturales*, quae obligant quidem validè eos etiam qui sunt extra societatem *Pufendorf. def. 3. § 5.* tamen quia paucis ea ingenii modestia, ut illud sequi perpetuò velint, ubi nulla id violanti praesens ac terrorem sensibus incutiens poena fuit proposita, praepriis ubi per adsvetudinem dulcedo vitiorum subiit & ejecto pudore ad monita rationis animus affectibus obnoxius obsurduit ut loquitur *cit. Autor obs. 5. §. 1.* extra societatem autem civilis obligatio non datur, igitur si qui sunt quævis divinarum pariter atque naturalium legum vinculum solutum creditur, concessit defensionem mutua & jure talionis in ordinem redigere illos, qui primi noluerit concedere pietati.

DEFINIT. II.

Remedium subsidiarium est quod in ordinarii defectum substitui solet.

Scholion.

1. Uti in microcosmo non mollibus semper & ordinariis curare possunt remediis Medici, nec Pharmaceutica semper levare aegrotum, sed Chirurgicam adhibere saepe coguntur, & sectione atque ustione sanitatem restituere. *Laërt. l. III. de Vitis Philosophorum.* Ita nec in Macrocosmo ordinariis semper remediis reduci possunt, à sanitate legum aberrantes, sed sectione atque ustione, ferro atque igne saepè opus est. Quæ tamen utrobique adhiberi nunquam solent, nisi lenioribus id fieri mediis non possit. Quamobrem quoniam leges ordinaria sunt remedia, quibus in ordinem reducuntur aberrantes; *Perducunt nos enim leges finem ad optimum, per commo-*
da
- 2.

da media juxta *Coelum Rhodiginum* c. 19. l. X. & eum in finem sunt datae, ut in ordine vel conservet quiete homines, vel si aberaverint, in ordinem eos quiete redigant. Igitur quamdiu iisdem tranquillitas servari potest ad alia magis violenta recurrendum haud erit. *Vide Grot. l. 1. c. 2. §. 1. & Celeb. Boëcl. in Comm. ad eundem p. 178. CL. Pufendorf. c. l. def. 3. §. 6. Cic. l. 1. de Officiis §. 11.* Quibus etiam mos geritur plerum-^{3.} que in societate ab omnibus, nisi velint Reip. laesa crimine notari; extra societatem etiam a modestioribus, quos aliquis numinis invasit timor, nec quae praefracta peccandi libido omnem contra Deum atque homines pietatem exuit. At vero si sunt quos nulla omnino legum teneat cura, & apud quos plus valet quod violentia cogit, quam quod suadet & praecipit *verecundia* Val. Max. l. 3. remedia quaedam concessit natura etiam violenta, quibus cura Rei geratur publicae, defensionem nempe mutuam, quae eadem ratione alterum impugnare licet, quae me prius laceffivit, eaque quae mihi abripuit bona vindicare iterum, & violentiam violentia retundere. Quae^{4.} quoniam in subsidium quasi sunt collocata ordinariis, ita ut ipsorum subsidio jure iterum suo frui liceat laesus, subsidiaria vocantur. Applicantur autem remedia vel *solemniter* vel *mi-*^{5.} *nus solemniter*. Ibi bellum solenne, hic vero *Repressalia*, quorum illud cum magis abeat ab ordinariis, igitur & haec omnino praeter illo amplectenda sunt. *Vide quae hic differit Magn. Ziegl. ad Grot. p. 531. §. Sed moribus*, utrobique tamen intercedit violentia.

DEFINIT. III.

Violentia est motus contra intentionem ab agente validiori productus.

Scholion.

Motus est Actus Entis in potentia quatenus in potentia Arist. Phys. lib. 3. c. 1. text. 6. Hoc est, Actus rei tendentis ad alium statum quatenus ad eum tendit, sive quatenus ter-

B

minum

minum istum tendentiæ nondum acquisivit. Vide Ingenio-
 sissimi Weigelii Profefs. Mathematicum Jenensis Excellentissimi
 Analysin Aristotelicam Sect. III. membr. II. c. 5. §. 13. Qvi mo-
 tus, qvive Entis actus, si fit juxta intentionem rei motæ natu-
 ralem, hoc est, secundum determinationem ipsi à termino
 motûs à quo impressam, naturalis dicitur, sin verò contra in-
 2. tentionem & determinationem, tunc violentia est. Quæ
 rursus vel est *physica*, ut quando gravia verbi gratia quæ natu-
 ra suâ deorsum h. e. ad centrum tendentiæ suæ, ad quod à pri-
 mâ statim rerum origine ordinata sunt, feruntur, qvalia sunt
 terræ partes, quæ ad ipsius centrum destinata nunquam non
 eò tendunt quidem naturaliter, violentiâ tamen extrinsecè
 advenienti sursum projiciuntur; vel si levia saltem respectivè,
 quorum natura est ferri sursum descendere coguntur vide jam
 3. laudatum suprâ *Weigelium* c. 1. §. 16. Ad quam violentiam
 requiritur major semper vis & agens validius quam quidem
 est vis illa in moto corpore resistens, siive vis illa augeatur vel
 ratione velocitatis vel ratione molis. In corpus quod mo-
 tui resistit, Major est (positâ æqualitate molis) moventis vis
 illius, quod velocius; & moventis majoris (pari positâ velo-
 citate) quam minoris. *Vide Hobbium* §. 8. c. 15. de Corpore.
 4. Quanta autem esse debeat vis illa motrix videatur *Cartes.*
Part. II. Princip. Philosophiæ n. XLV. seqq. *Joan. de Raet in Cla-*
ve Phil. Nat. de motuum communicatione & Actione cor-
 porum in se invicem §. 7. *seqq.* *Henricus Regius Philos. Nat. c.*
5. seqq. Facere huc etiam possunt quæ habet *Ricciol. Alm.*
Nov. l. II. c. 5. & 21. & Lib. IX. Sect. 4. c. 16. cujus tamen expe-
 rimēta, quod globis argillaceis sint instituta, ex parte falsa esse
 à Celeberrimo Acutissimoq; Viro Dn. Titelio Arcis Plisnaburg:
Prefecto Fortissimo audisse jam olim meminimus. vide etiam
 Sagacissimi Ingenii *Hobbii de Corpore cap. XVI.* per totum
 quàm elegantissimum; Cujus hypothesein de Cive utut o-
 mninò

minimò tanquam profanam maximè respiciendam putemus, in Physicis tamen & Mathematicis non possumus non ejus ingenium maximi facere. Poterit & addi supra citatus *Wardus Sect. 3. c. 5.* qui quod præter meritum sæpe amarulenter potius quam solidè ipsum perstringit, ita viri Mathematici officio in eo ipsum fungi nemo nobis persuadebit. *Vel mor- 5.*
r. P. is, quæ fit ab agente libero, quæ, quoniam ita sæpè est comparata, ut physicè interdum manum admoveat interdum verò minus, hinc & violentia est *vel merè talis*, quando aliquis injustè in alium turbatur statum sine applicatione physicâ, qualis infertur vel à personis privatis, cum convitiis laceffitur aliquis injustè & injuriis læditur; vel publicis quando injustè notatur infamiâ, & pro civiliter mortuo habetur. Hoc enim non privatorum est, quippe qui propriâ auctoritate civitatis jura alicui efficaciter tribuere nequeunt; Ejusdem autem est auctoritatis vitam velut civilem dare & mortem civilem inferre hinc quod lictores & carnifices averfentur homines non est ex infamiâ juris, sed quia non nisi viles animæ ad id vitæ genûs applicent. *Pufendorf def. 9. §. 1. def. 4. §. 1. vel physicè mixta,* quando aliquis cum applicatione physicâ contra intentionem, in alium statum tendere cogitur, ut quando bona alicui eripiuntur, vel quando capitur aliquis, vel superatus planè privatur vita Exercetur autem & in cives delinquentes & in Exteros.

DEFINIT. IV.

Exteri dicuntur non-cives Reipublicæ.

Scholion.

Ampla quidem Respublica terrarum universitas est, in 1.
quâ cives quotquot homines, quam suis etiam legibus egregiè instruxit summus Monarcha DEUS. Quæ magna Respublica uti saluberrimis est instructa legibus, ita & quotquot sunt in eâ homines sibi mutuò obligantur eo ipso quod tales sunt. 2.
Nam utut vel maximè quiescat interdum, nec exeratur obli-

- gatio, in omnibus naturæ officiis, quando nempe alius etiam erga me jus naturæ non exercet. Ita tamen propterea est, quod obligatio sit mutua, adeoq; altero peccante, alter etiam non teneatur, hoc tamen semper habito respectu, ut simulac sua cuique salus id concedat ad officium iterum redeatur. Ut adeò meritò hic vapulet *Hobbii de Cive* hypothesis omnem omnino obligationem naturalem, nisi quæ ex pacto, cujus causa mutuus metus, procedit respuens *c. 1. & 2.* At verò quoniam non nisi Respublica communiter dicitur illud, quod uni Regimini terreno sive illud monarchicum sit, sive Aristocraticum sive politicum, subjectum est, ita hoc respectu cives dicuntur non nisi illi qui sub eodem tali imperio vivunt, qui iisdem gaudent juribus, eundemque agnoscunt superiorem terrenum judicem. Cæteri, qui tali imperio non sunt subjecti, & extra istam Rempublicam vivunt, non-cives sive exteri dicuntur.

DEFINIT. V.

In ordinem redigere dicimus eos, qui officio suo neglecto ad id rursus compelluntur.

Scholion.

1. Uti turbæ omnium malorum causæ sunt, ita ordo contra omnis boni origo; adeò ut optimè dixerit, qui dixit.

*Ordine servato mundus servatur, at isto
Neglecto, pessum totus & orbis abit.*

- Et Philosophus omnia benè facta pronuntiet, si ordinis civitas sit particeps *VI. de legibus.* Hinc & adeò curant Imperantes ut factus tectusq; conservetur, ut siquidem interdum turbatus fuerit, operam dent sedulò atque diligenter, ut restituant eum iterum, eosque qui eum turbant, redigant in ordinem. Quorum verborum emphasis ut melius percipiatur, rem paulò altius petemus. Variè enim dicitur vocabulum ordinis. *Generaliter* dicitur de serie & dispositione quacunque

que

que, quæ suus cuique locus debitus assignatur. *Specialiter* denotat (1) *Physicè* seriem causarum seu fatum. *Manilius l. 1. v. 531.*

Non opus est magni casus sed numinis ordo.

(2) *Politice* statum, ut tres illi ordines penes Romanos, Senatorius, Equestris, Plebejus. Hinc *Ausonius*:

Martia Roma triplex, Equitatu, Plebe, Senatu.

De quibus Ordinibus vide *Rosinum Antiq. Rom. Lib. 1. c. 17.*

(3) In bello significat milites vel classes militum hinc *ordines ducere* idem est ac præesse militibus. *Cic. 1. Philipp. dare ordines* idem est ac militiæ adscribere, ut quando *denunciante Pompejo pro hostibus se habiturum qui Reipublicæ defuissent, quibus ex commendatione Pompeji ordines dederat Cæsar potestatem transeundi ad eum omnibus fecit. Sveton. Jul. Cæs. c. 75.* Adimere autem ordines idem ac militiæ eximere, *reddi ordines* dicebantur cum in pristinum statum restituerentur. Hinc *Tacitus l. 1. Hist. c. LII. Reddit a plerisque*

ordines, remissa ignominia &c. Quos ordines si qui deserabant adeoq; statione suâ non adeo bene fungebantur, graviter in eos animadvertebatur; si enim Romanus erat, vitibus, si extraneus fustibus cædi solebat, si extra ordinem fuit deprehensus, uti *Livius* de Scipione disciplinam militarem ad Numanthiam corrigente, refert. *Rosin. Antiq. Rom. Lib. X. c. 25.*

Ex quâ correctione cum in locum suum restitueretur miles, est sine dubio, quod diceretur *in ordinem redigi*, adeoq; idem quod castigari, cogi. *Liv. L. XXX. Tribuni plebis in ordinem redacti.* Cæterum qui in ordinem redigebant milites superiores ipsis erant, & quidem merito. Cum enim parium in pares & multo minus inferiorum in superiores nullum imperium, ergo & nulla valida fuisset coercitio. Redactio autem illa in ordinem in coercitione consistit, Ergo sanè superiores fuere in ordinem redigentes delinquentibus.

B 3

Quæ-

5. Quærimus hic etiam, an supremus Magistratus in ordinem possit redigi, si peccet in legem naturæ. Id quod negamus. Nam etsi æqualiter legem naturæ violant & ipsi Principes, ob necessitatem tamen summorum Imperiorum humano generi expediebat, ut illi, in quos imperia collata, paulò melioris hîc essent conditionis eatenus quidem, quatenus aliis non competat facultas in ordinem ipsos redigendi, si quâ in re fortè legem naturæ violaverint, quia aliàs omnis omninò Imperiorum everteretur efficacia, ut ut clarum sit, æquè peccare illos atq; alios. Vide *Pufendorf. obs. 4. §. 22.*

DEFINIT. VI.

Repressaliæ sunt remedium subsidiarium, quo exterorum violentia in ordinem redigi tentatur.

Scholion

- I. Dicuntur Præfaliæ, Repræfaliæ, & Repressaliæ, quasi *Prænsaliæ* & *Reprænsaliæ* à reprehendo vel quod perinde est repræhendo, apposito sanè vocabulo ad rem significandam, in quo consentientem habemus *Grot. in annotatis ad c. 2. l. 3. de J. B. & P.* Ubi voci Saxonice & Anglice *Withernamii* quæ idem est ac Germanicum *Weiternehmen* secundum *Venturam de Valent. in Parthen. Litig. L. H. c. 2. §. 30.* rectius *Wiedernahme* ad amissim quidem respondere dicit, verum clarius adhuc naturam repressaliarum notare reprænsaliarum vocem ex eo patet, quia *Withernamium* non includit etiam illam repressaliarum speciem, ubi siue intercedente captura apprehensione mutuâ saltem est cohibitio. Quale exemplum legitur apud *Tbuanum l. 119.* vid. *Gothofredi Monarchiæ f. 980.* de Imperatore Rudolpho II. & Elisabetha Regina Angliæ, quorum ille cum mercatores Angliæ omnes Germaniâ eiecisset, Elisabetha par pari referens Hanseaticarum urbium mercatoribus in Angliâ negotia interdixit. Quo nihil effectum est aliud, quam ut se cohiberent mutuò Principes.
- Re-

Reprehendere autem idem denotare etiam atq; cohibere notius est, quam ut pluribus id declarari exemplis debeat. Vide interim *Terent. Adelpb. Act. IV. Sc. IV. v. 13.*

Sensillico id illas suspicari. Sed me reprehendi tamen.

Sunt qui propterea à reprimendo id derivant quippe quod 3.
cohibitionem ein gerichtliche Hemmung significet; cum verò
hæc derivatio justo sit angustior, cum capturæ applicari ne-
queat, deinde etiam nulla possit dari ratio, quare etiam Re-
pressalia scribantur, merito eam rejicimus, ut & illam *Loccenii* 4.
d. I. Mar. 3. 4. à Repræsento deductam, quasi illi qui ob
denegatam justitiam cum rebus detinentur, repræsento il-
los, qui & debitum non solverunt, & ad id consequendum jus
& justitiam denegarunt, quæ potius est allusio quædam, quam
Etymologia. *Dn. De Peschvitz in Tract. de Repressaliis* 5.
barbaram vocem & ab Italico Presa & Ripresa, quam capturam
sive iteratam prehensionem significare prætendit, deductam
esse dicit §. 5. c. 1. Verum non opus putamus eò recurrere
& Repressaliarum vocem ex lingvâ Latinâ extirpare, cum
commodè ex receptis vocabulis derivari eam dicere possi-
mus, ut ut classicum esse vocabulum neutiquam velimus asse-
rere. Dicitur etiam Clarigatio apud *Liv. l. VIII. c. 14.* nec 6.
non apud *Plinium lib. XXII. c. 2.* *Legati cum ad hostes clari-*
gatumq; mitterentur, id est res raptas clarè repetitum non
clarere pipitum, ut hic notat Dalechampus in Notis. Pigno- 7.
ratio quoq; inter Populos diversos *Grot. l. III. de J. B. & P.*
c. 2. §. 4. Σύλα Græcè quod prædam significat rapinam, pre-
hensionem *Aristot. Oecon. 2. εἰς συλαν ἔχει.* Repressalia au- 8.
diunt Gallis *litera Marca Grot. c. 1.* Marcarum jus *Bodin. l.*
I. c. 6. p. 100. c. 10. 269. Droit de Marque. Idq; fortè propter-
ea quod in limitibus præprimis regionuum qui *Marca* di-
cuntur exercentur Repressalia, quam causam vide apud *Dn.*
De Peschvitz in tractatu de Repressaliis c. 1. §. 10. Exercentur 9.
tur

- tur autem Repressaliae vel in homines eosque; vel capiendos, & tunc dicuntur ἀνδραγαθία, captura virorum, qualis obtinuit olim penes Athenienses, apud quos si quis civium suorum ab extero per vim occidebatur, neque; homicida trahebatur ad supplicium, tres homines prehendere jus erat, ita ut in servitute essent interea, donec civitas id agebat, quod agere ipsi incumbebat, hoc est, vel tradebat fontem vel puniebat. **10.** Legem ipsam Atticam, verba Demosthenis Pollucis, Harpocrationis huc facientia lege apud ipsum *Grotium* §. 3. C. 2. l. III. de *Jure B. & P.* In qua lege duo observare licet, morale alterum civile. Naturalis enim erat æquitatis prehendere homines, retinere eos etiam in servitute, donec ad supplicium traheretur homicida. Civile autem erat numeri determinatio quod tres prehendere licuerit, non ultra. Carthaginenses etiam impedivit ne Ariston Tyrius caperetur, ne forsitan daretur inde ansa, quò & Carthaginenses Tyri caperentur, ap. *Grotium c. l.* Vel in homines ejicendos, quæ ad anologiam dici possent ἀνδραβολή ejectio virorum. Tales obtinere *in exemplo def. 6. citato de Rudolpho & Elisabetha.* In Messenos etiam fecerunt Repressalias tales Lacedæmonii ob interfectorem Lacedæmoniorum quendam non debitum ap. *Pausan. lib. IV.* Vel exercentur in res & tunc dicuntur ἐνεχυρασμὶς, quod est oppignoratio ἀπὸ τῆς ἐνεχυρῆς pignus, quod à præpositione ἐν & ἐχυρῆς *tutus* derivatur, quasi pignus sumatur propterea, ut securus sit de debito creditor. & tale Exemplum legitur apud *Homerum Iliad. λ.* ubi Nestor dicitur ob ereptos patri equos pecora & armenta Elidensium abstulisse, nec non *in Historia Romana* ubi princeps Romanæ historiæ *Livius l. II. Aristodemum* narrat pro bonis Tarquiniis ereptas Romanorum naves Cumis retinuisse. Vide *Grot. c. l.* Sic Veneti concessere tales Repressalias contra Galottum Dominum Armini ob denegatam justitiam in faciendo restitui
- quan-

restitui quandam summam deprædatam nonnullis civibus Venetis. *Vide Tr. de Repressaliis Dn. de Peschvitz p. 126.* Rex etiam Daniæ illustri nobili viro Ramelio concessit contra Dantiscanos referente *Valentino Winther* s. Ventura de *Valentiis Parthen. litig. Lib. 11. c. 2. §. 29.* Vide & exemplum inter Elisabetham Angliæ Reginam & Albanum apud *Job. Lud. Godofredum in IV. Monarch. f. 923.* Quibus omnibus cum ^{12.} id agitur, ut præfractorum importunitas cohibeatur, violentia ipsorum retundatur, inq̄vè ordinem quem turbare cœperunt, redigantur statusq̄ve Reipublicæ reddatur tranquillitas, meritò ea Remedium diximus subsidiarium quo Exterorum violentia in ordinem redigi tentetur *vide Magnif. Ziegl. Annot. ad Grot. p. 531.* Notanter autem tentatur diximus, propterea quod irritus sæpe labor est, & conatui non semper respondet eventus, sed in cruentum sæpe bellum exardescit, quanquam & haud rarò obtinetur finis. *Vide cit. Gothofredum cit. III.*

DEFINIT. VII.

Participare dicuntur de facto, qui quovis modo ad id concurrunt.

Scholion.

Participare idem est ac partem facti capere, quando totum quidem admissi imputari nequit alicui, bene verò pars ejusdem sive physica illa sit, sive moralis aut quocunq̄ve dicatur nomine. Nam habet se participatio pro ratione concursus ad istum actum. ^{1.} Concurfus autem est vel Physicus, materiale Actionis ipsum & exercitium, ipse motus & actus physicus, ut extensio manus ejusdemq̄; attractio vid. *CL. Pufendorf. Elem. Jurisp. def. 1. §. 1.* Vel moralis sive ex toto sive ex parte, actionis ipsum formale ut extensio manus ad rem vetitam unde imputatio, ^{2.} *vide Laud. Pufendorf c. 1. §. 4. Excell. Thomasi in Dilucidationibus ad Stablii Regulas part. 1 Diss. V. Reg. 4. §. 13. seqq.* Concurfus verò moralis variis iterum

C

modis

modis ad aliquem actum esse solet. Fit enim vel agendo, impellendo, svadendo, non dehortando, non puniendo; Paucis rem ut complectar, ad omnem actionem ab altero executioni datam, qva citrà nostram operam aut indulgentiam vel non suscepisset, vel suscipere non potuisset. Vide Pufendorf. c. l. Ax. 1. §. 7.

CAPUT II. PRINCIPIA.

I. Nemo privatus sibi ipsi jus dicere potest.

Dico privatus, qvia maximè sibi dicunt jus, nec aliter possunt, Summi Imperantes. Cùm enim paucis inter homines ea esset modestia, ut *justum* magis quàm *bonum* sectarentur, adeoque propter affectus, quibus unusquisque plus se amat quam alios, non benè æqualitas illa adesse debita in judicando observaretur. Igitur ne infinitæ tunc fererentur lites, vel etiam ipsi justitiæ fieret injuria, sibi vindicarunt solertes publicæ tranquillitatis Assertores illud regale, ita tamen ut committant, servata sibi semper jurisdictione summâ, exercitium ejus aliis.

II. Imperantium officium est cura salutis publicæ.

Salus populi suprema lex; tritum satis quidem proverbium non tamen minus verum. Consistit enim ut plurimum salus ista in tranquillitate publicâ, ita ut quivis pacatè & quietè res agere suas possit. Quam cùm ipsa natura maximè appetat & dictitet, Imperantes autem, civilibus quidem soluti legibus, naturalibus tamen tenentur; Ergò in eas peccarent, nisi quidem actionibus suis tranquillitatem illam sive salutem quæsitum irent.

III. Bellum inter Jura Majestatis refertur.

Augustinus l. XXII. c. 74. contra Faustum: ordo, inquit, natura-

naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principes sint. Nec equidem immerito. Cum enim salus populi suprema Principibus lex sit, bello autem tranquillitas ista maximè omnium petitur, & tota civitas periculo sæpè subjicitur, merito hoc Jus Majestatis sibi Principes attribuunt. Vid. Grot. lib. 1. c. 3. §. 4.

IV. Quos nullum Juris civilis, hos vinculum naturæ tenet.

Ab iisdem parentibus prognati eadem quoque natura, & cum eadem fraterni amoris obligatio, propagatur, quæ ipsa non minus stringit coram Judice supremo, quàm vel coram potentissimis hujus mundi arbitris; & contra id peccantes tantum æternarum pœnarum sustinere coguntur, quantum vix sustinebunt malefici Juris civilis Everfores.

V. Homines sunt inter se æquales.

Equidem ingeniorum diversitatem, & apprehensionis varietatem offendimus in homine, eamque notat *Hobbius de Homine c. 13.* At verò ratio omnibus æqualis est, utut non æqvabiliter se ubiq; exerat. Moraliter verò æquales offenduntur tam ratione Status, quam effectuum etiam civilium.

VI. Nullum in æquales imperium.

Præsupponit enim Imperium tam naturale quàm legale in æqualitatem, illud ratione prudentiæ, hoc ratione dignitatis. Æqualitas autem facit, ne alter alterius facta præstare possit, quippe cum per eam effectus moralis prohibitionis in nihilum recidat secundum *Pufendorf. def. 12. §. 20.*

VII. Justitia suum cuiq; tribuit.

Est enim virtus servans mediocritatem in bonorum externorum distributione aut commutatione stricto jure debitâ, versaturq; circa personas quatenus inter eas locum habet

distributio vel commutatio; nemine excluso. *Vide Excell. Thomaf. Tab. XXIII. Phil. Pract.*

VIII. Nemo ex facto alieno, quàm tali tenetur.

Non enim ibi ullus concursus est, neque physicus neque moralis, adeoque etiam nulla participatio. ubi autem ne participamus quidem de facto, neque eodem teneri possumus.

IX. Quo quid expeditius eò magis afficit.

Habet enim velocitas inserationem boni propterea quod æstuanti desiderio eò melius restringit sitim cum tarditas contra animum reddat anxium, adeoque hoc respectu sit malum. videatur *Hobb. de Homine.*

X. Vita pariter atque bonis civis Patriæ obligatus est.

Debet enim patriæ operam militarem homo, ita quidem, ut illi etiam, qui sunt exempti, in casu necessitatis pugnare teneantur, & illi, qui ad tales operas inutiles se reddidere gravi sunt poena digni. Quam facile autem vita in bello profundi possit cuilibet notum. Multò adhuc magis ipsis debentur opes. vide egregiam *CL. Pufendorffii dissertationem de Obligatione adversus Patriam.*

CAPUT. III.

PROPOSITIONES.

PROP. I.

Repressalias non nisi summus Imperans concedere potest.

Probatio.

1. Ejus sunt naturæ regalia Majestatis Jura, ut non nisi iis concedi possint, è quorum humeris Majestatis radii vibrant,
 2. & qui ipsi summi Imperii tenent moderamina. Cùm enim
- ab

ab ejusmodi Juribus totius sæpè Universitatis salus dependeat,
vel saltem maxima Reipublicæ utilitas. Rei verò publicæ
cura publicæ saltem personæ, quippe cujus hoc ipsum offi-
cium est, est commissa per Principium II. Privatorum e-3.
nim humerus tantis oneribus impar, sustinere ea nequit, quip-
pe *quibus obsequii saltem gloria relicta est, cum Principi sum-
mum rerum judicium Dii dederint*, juxta illud Taciti Ann. III.
Ergò nec ea Jura, quæ eò quidem faciunt, alius quam Prin-
ceps vindicare sibi jurè meritoq; poterit. Horum autem nu- 4.
mero belli quoq; jus cum accensere in primis mereatur, quip-
pe quod maximè totam sæpe civitatem concernit. *Vide*
Grot. de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 4. Bod. l. 1. de Rep. immò omnia
omnino remedia, tam solennia quam minus solennia, quæ in
ordinem redigunt alios, maximè externos; quia per Def. V. su-
perioritas ibi requiritur. Igitur etiam Repressalia, tanquam
certa quædam belli minus solennis species, ex quâ utiq; maxi-
ma in bonum vel malum Reip. facientia sæpè descendunt, à
nemine alio quam à summo Imperante decerni poterunt.
Vide omnino Magnif. Ziegl. in Notis ad §. 4. c. 3. l. 1. Grotii &
ad §. 7. c. 2. lib. 3. Equidem inferioribus quoq; potestatibus 5.
jus aliquod bellandi concedit *Grotius l. c. §. 4.* & bellum quo-
què privatum si suis conditionibus restrictum sit, negari non
potest, juxta §. 1. & 2. c. I. Verùm meritò hic momentanea præ- 6.
supponitur Defensio in qua cessat judicium, quæ si non sub
moderamine inculpatae tutelæ observatur, sed ex intervallo
infertur, vindictæ potius rationem subit, quæ certè ad priva-
tum devolvi nequit; ibi verò coërcitio potius jurisdictionalis
est, quam bellum. vide laudatum *Zieglerum l. c. p. 112. & 119.* ni-
si quidem contra externum hostem, de quo probabilitèr
summi Imperantis consensus præsumitur, cum paucioribus
possit agi, quænam nec hic omninò id svadeant Politici pru-
dentiores. Hinc enim Manlius Torquatus ad Imperatorem 7.

cum à Gallo provocaretur Romanus: *Injussu tuo*, inquit, *Imperator extra ordinem nunquam pugnare, non, si certam victoriam videam ex Liv. l. 7. Nicol. Machiavel. in discurs. ad Liv. l. III. c. 22.* Igitur & benè notatur *Grotius à Magnifico Ziegler* p. 531. quod singulis jus pignorandi vel repressaliarum adscripserit. §. 7. c. 2. l. III. Deinde quoniam nemo præter summum Imperantem jus sibi dicere potest per Principium I. Repressalias autem si privatâ quis autoritate exerceret, omninò ad se devolveret jurisdictionem, cum judicasset læsus, jus sibi in exterum fuisse, uti ex postfacto colligeretur, quod actum istum exercuerit. Igitur nec ullus nisi Princeps Repressalias concedere poterit. Videatur *Martinus Laudensis de Repressaliis §. 8. seqq. Dn. de Peschovvitz c. 5. Limn. Jure Publ. Tom. IV. c. 8. 313. Magnif. Ziegl. p. 530. ad Grot.*

PROPOSITIO II.

Repressaliæ non nisi denegatâ Justitia exerceri jure possunt.

Probatio.

Nil est profectò præstabilius inquit Cic. l. 1. de Legib. quam planè intelligi nos ad justitiam esse natos, neq; opinione, sed natura esse constitutum jus. Quæ uti unus quisq; ita Respublica imprimis hæc sibi dicta putet. Si enim ullibi certè in Republicâ vigilare debet *Justitiæ oculus sempiternus*, secundum *Ammianum Marcell. l. XXVIII.* Quæ non aliter nisi ad justitiam exercendam se institutam judicet. Hinc enim illæ Respublicæ benè institutæ dicuntur *Machiavello lib. 1. c. 24. Discurs. ad Liv.* quæ bonis præmia & pœnam malefactis constituta habent, neq; alterum altero compensant; & pro ratione commissi justitiam administrant. Quæ verò justitia cum versatur circa quoslibet omninò homines, & *suum cuiq; tribuit* juxta Principium VII. *Cic. de Natura Deorum.* Ergò nec
exteris

exteris ea deneganda erit, præprimis quod *Justum & inju-
stum* non civilis saltem originis est, uti quidem id *Hobbio* pla-
cet *de Cive* c. 17. §. 10. & *Defensori* ipsius in *dissertatione Episto-
licâ De Principiis justis & decori*, sed potius Scintilla adhuc re-
sidua originalis & naturalis justitiæ. In quacunqve igitur Re-
publicâ ita vigilat oculus Justitiæ, ut exteris pariter atq; civi-
bus recta ad eam pateat via, non est quod petantur Repressa-
liæ. Hæ enim remedium sunt saltem subsidiarium, quod in
alterius defectu applicarunt, uti definitione VI. tradidimus.
Quamdiu autem ordinario modo res expediri potest, extra-
ordinaria est removenda *Magnif. Ziegl. ad Grotium* p. 530.
Peschovvitz c. III. de *Repressaliis*.

Ex quo etiã corollarii loco fluit Repressalias in cives ejus-
dẽ Principis non esse exercendas, quia & ibi remediis ordina-
riis judicis, nempe legibus expedienda res est quàm ad sub-
sidiaria recurrendum. Sub uno verò principe præsumi ne-
quit nec debet, justitiam alicui denegari. Hinc bene negan-
tur in Rom. Imp. aliisq; Regnis Repressaliæ. *vide Limnaum de*
Jure publico Tom. IV. c. 8. §. 315. Cur enim, *inquit*, patia-
mur ad arma & rixam procedere, quos jurisdictione com-
ponere possibile est. Et *Brautlacht* l. 7. c. II. *Epitomes Ju-
risprud. Romano. Germ.*

PROPOSITIO III.

Repressaliæ non nisi Civibus concedi possunt.

Probatio.

Quamquam ab uno Monarcha descendamus omnes, uti
in Proœmio monuimus, adeoq; propterea uni eidẽq; ultima-
tò subjecti fuimus Dominio, nihilominus tamen uti penes
Imperantes contingere sæpè solet, ut filiis suis regna à se inte-
gra

gra possessa, singulo suam cuique portionem assignando di-
divisim possidenda tradant. Ita ut in primâ illa societate usu
venit, quando posterî Adami, dum singuli suam quisque par-
tem ex hæreditate paternâ tanquam Domini supremi posse-
derant, terram inter se primo, postea multiplicatione quadam
intercedente Geometricâ, inter filios suos diviserint; ita ut
inde Dominiorum est introducta distinctio & regna & Impe-
ria in eum sint translata statum, in quo etiamnum hodie po-
tentioribus quidê postea plus sibi vindicantibus, conspiciuntur.
Positâ istâ Dominiorum distinctione utiq; Jurisdictionem tan-
quam potissimum Domini supremi annexum, suam quisq;
habet propriam; propterea quod in unum conspirare Rem-
publicam Aristocraticam amplitudo terræ haud permittebat,
& propter unum omnium consensum, unicamq; voluntatē,
quæ ad stabilimentum requirebatur, planè erat impossibile,
taceo, quæ inde secuta fuissent in omni vitâ civili incommo-
da, si uni cuidam jurisdictioni uniq; Dominio terreno subje-
cta esse debuisset tota rerû Universitas; quanquam tamen cõ-
munibus istis Legibus, quæ salvâ Dominorû distinctione subsi-
stere potuerunt, & quibus fraterno se invicem amore amplecti-
tenentur homines, propterea renunciasse haud credendi sunt.
Quod si igitur Jurisdictio cuique Domino peculiaris est, per se
patet, nullam alteri in personas & res alterius competere Ju-
risdictionem, cum, si Repressaliæ alii quam Civi concedan-
tur, manus injiciantur Jurisdictioni alterius. Igitur Repres-
salias aliis quam Civibus concedi non posse clarum est. De-
inde quoniã inter eos, qui nullo Imperio civili communi sub-
jecti sunt, jus saltem naturæ obtinet atque obligat per Princip.
III. At verò quoad effectus saltē Civiles diversi imperii homi-
nes sint inter se æquales per Princip. V. Æqualiū autē in æqua-
les nullū Imperiū per princip. VI. E. & Imperans saltē quoad
effectum civilem non-Civi æqualis, alii quam Civi suo repres-
salias

falias concedere nequit. *Peschvitz de Repressaliis, c. VI.*
Joann. Jacob. à Canibus, Martinum Laudensem de Repressaliis,
Zieglerus in Grotium. p. 530.

PROPOSITIO IV.

Repressaliæ non possunt exerceri distinctè in
exteros.

Probatio.

Ex censu eorum, contra quos decernuntur repressaliæ ex-
imimus cum *Grotio §. 7. c. 2. lib. 3.* Legatos non ad hostes no-
stros missos, & res eorum, item advenas, qui transeundi aut
moræ exiguæ causa alicubi commorantur. De illis enim cum
propter utilitati publicæ necessarium, quod gerunt, munus
nullibi non sint inviolabiles, vide *Excell. Thomasi diss. de Le-
gato inviolabili §. 5. 7. Pufendorf. def. 13. §. 26. & à Jacobo Ho-
vvelin Tractatu de Legatis*, qui est sub finem dissertationis de
præcedentia Regum M. Britannia, Gallia & Hispaniarum, di-
cuntur Personæ Sacræ, illustres, nec à quoquam violandæ, imò
ipsorum ædes Sanctuaria sive asyla p. 292. & 296. propter mu-
neris dignitatem, Repressaliarum incapaces censemus. Hos
verò propterea, quod non recensendi sint ad gentem illam
propter momentaneam quasi morâ istam quæ repressaliis no-
tatur. Quod verò de mulieribus & infantibus, & aliis
addit Grotius, rem potiùs arbitrii putamus summi Imperan-
tis, quam naturalis alicujus juris. Vide *Limn. de jure publico,*
IV. §. 316. Jacobum à Canibus de Repress, §. 44.

PROPOSITIO V.

Imperantes sæpè subditorum delicto tenen-
tur.

Probatio.

Eqvidem esse videtur æquum, ut nemo alieno tenea-
tur factò. Æquitati enim naturali contrarium dicit Zeno, ut

D

pro

pro alienis debitis alii molestantur apud *Grot. l. III. c. 2. §. 1.*
 Et cum Quintus Martius legatus Romanorum Perseo Macedonorum Regi objecisset, pro crimine contra Romanos admissio, quod interfectores Arterati, omnium Illyricorum fidiissimi Romanorum nomini Reguli recepisset; Perseus respondit, Arterati cædis mihi reddenda ratio est, cum nihil ultra objiciatur, quam interfectores ejus in regno meo exulasse. Cujus conditionis iniquitatem non sum recusaturus, si vos quoque accipitis, ut quicumque in Italiam vel Romam se contulerunt, his, facinorum propter quæ damnati sunt, autores vos fuisse fateamini: Si hoc & vos recusabitis & aliæ omnes gentes; Ego quoque inter cæteros ero. Apud Liv. 3. Dec. 5. l. II. At verò quando Magistratus denegat Justitiam & imploratus læsum non juvat, nec lædentem punit, adeoque officio non fungitur suo, meritò ad factum subditorum concurrere, deque eo participare adeoque subditorum delicto teneri dicendus est, per Def. VII. quandoquidem qui scit subditos delinquere & prohibere potest, nec tamen prohibet, ille utique tenetur: Hinc Agapetus apud Justinianum: Par est delinquere & delinquentes non prohibere. uti habet R. Z. *Jus inter Gentes Part. II. Sect. 5. §. 2. Pufendorf. Elem. J. V. def. 12. §. 20.*

PROPOSITIO VI.

Subditi tenentur Imperantium delictis.

Probatio.

1. Quamquam Seneca inquit *Lib. 6. de Benef. c. 20. Si quis patriæ meæ pecuniam credat, non dicam me illius debitorem, nec hoc æs alienum profitebor, ad exsolvendum tamen hoc portionem meam dabo.* Nihilominus tamen uti omnes subditi sunt Reipublicæ, ita & eo ipso eidem sunt obligati, ut quia in Imperantem imperium, publicæ salutis curam, ac de eâ disponendi

nendi potestatem transtulerunt, se pro suâ quemque parte collaturos, quod ipse tanquam salutis publicæ necessarium aut utile injunxerit præstent. Semper autem præsumitur Princeps imò præsumi debet negotia ipsius spectare ad salutem publicam. Quid? quod ratione vitæ pariter atque bonorum Patriæ unusquisque obligatus est juxta Princip. X. ut in necessitatis casu non bona saltem, sed seipsum tradere teneatur, quia lex naturæ fundamentalis est. *Ut ita quisque conservare se studeat, ne societas inter homines turbetur.* Vide laudatum Pufendorf. def. 12. §. 28. & obs. 4. §. 4. Turbaretur autem societas nisi laboranti succurreretur Principi: Præsertim quia uni Dominio eminenti subjecta, & quatenus ad societatis civilis conservationem faciunt in unum coaluisse intelliguntur vide §. 29. 16. Def. ejusdem Autoris.

PROPOSITIO VII.

Repressaliæ jure exercentur.

Probatio.

Quibus præsuppositis facile æquitas Repressaliarum probari potest. Nam quoniam Magistratus si justitiam denegavit, delicto subditorum suorum prædantium tenetur, per Prop. V. Subditi vero ad unum omnes delicto quoque Principis sui tenentur, per Prop. VI. Ergo & subditi reliqui delicto participant, & per consequens jure Repressaliæ contra eosdem exercentur. Vel: quoniam Repressaliæ sunt remedium subsidiarium, quo exterorum violentia in ordinem rediguntur tentatur per Def. VI. Quo verò hoc expeditius fieri possit, eò melius erit, per Princip. IX. Citius autem finis obtinebitur, si quosvis subditos vel quorumvis bona præhendere liceat, præsertim quoniam membra alicujus societatis facilius à se invicem jus consequi solent, quam exteri, quorum exigua sæpè habetur ratio. *Vide Grotium l. III. c. 2. §. 2. Cl. Pufendorf.*

- §. 29. def. 12. Elem. ubi aliter etiam suppeditat Repressaliarum fundamenta. Hæc quæquam vera sunt, *Ventura* tamen de *Valentiis in Parthen. Litig. l. II. c. 2. §. 3. seqq.* Repressalias illicitum pronunciat remedium (1) quia adversetur Juri scripto (2) quia non ratione introductum sed initio errore, postea consuetudine obtinuerit (3) quia liber homo pignori dari non debet (4) quia injuriosum est alium pro alio teneri. (5) quia naturâ iniquum est, alterum cum alterius damno locupletari. (6) quia non decet propter injuriam privatam totas gentes concitare. Rr. Prima & secunda ratio sunt merè juris civilis, adeoque ipsi negamus, Repressalias in uno Imperio Prop. II. Ad tertiã: pignori dari non debet liber homo si fieri aliter possit, in remediis autem subsidiariis bello atq; repressaliis utiq; debet fieri, præsertim quia & ipse obligatus est quodammodo. Ad quartam: non iniquum, si participaverit, vel si ita citius redigantur in ordinem aberrantes. Ad quintam: non intendere repressalias in se locupletationem, sed repetitionem amissorum. Ad sextam: planè non sunt admittenda remedia subsidiaria si aliã ratione res expediri poterit, quâ deficiente, certè admitti debent. Interim tamen non semper bella sunt exorta, sed potius exoritura sæpius sopita, *vide Gotbofr. IV. Monarch. loc. cit.*
- 3.
- 4.

Atq; nunc bono cum Deo præsentem hanc de Repressaliis materiam absolvimus, quæ si Benevolo Lectori ad palatū haud erit, propter temporis brevitatem, quæ insudare eidem licuit, defectus nobis condonabit, & adhuc porrò favebit.

Soli DEO Gloria.

Ad-

Additamenta.

I.

Polus Meridionalis frigidior est Polo Septentrionali.

II.

America Veteribus fuit cognita.

III.

In America ostrea in arboribus crescunt.

IV.

Diutius Sol versatur in Septentrionali quam Meridionali hemisphærio.

V.

Sidera ad Horizontem majora minore apparent angulo, in vertice minora majore.

VI.

Sidera apparent rubra in Horizonte propter aërem.

VII.

Eadem apertura circini describi possunt Circuli diverse magnitudinis.

D 3

Jure

Jure si suo potiri non potisfit credi-
tor (gratiam,
Judicata per potentum Curiaeqve
Morbidae medela causae, perditaeq;
hamus rei,
Moribus passim recepta iusta pigno-
ratio est:
Non tamen rigoris expers, non gravis
minaciae,
Iusta quamvis & recepta vulgò pi-
gnoratio.
Nestor ob raptos parenti sic equos ra-
pit pecus,
Elidensiūq; scita jure iniqua ulciscitur.
Sic rates Aristodemus Tarquini aufert
pro bonis, (tentia.
Seqve Cumis à Quiritum vindicat sen-
RÜDELI, quid ista tentas improbis co-
natibus,
Quid ferenda vix Miloni debili verfas
manu?

Juris

Juris hæc decent epoptas, gentium
moris scios,
Altiora captu & annis, altiora viribus.
Nempe, sic, ais, magistro tutus ardua
hæc peto, (polum,
Ales ut raptu parentis armiger minor
Inq; Solis irretorto vertor ora lumine.

L. FRID. RAPPOLT,
Poës. Prof. Publ. & h. t. Academiae
Lips. RECTOR.

E *St belli quædam facies violentior ista*
Captio, quæ damnum nos reparare docet.
Tandem ut enim reddat Vis Jus, est jure proba-
tum,

Omnia cum fuerint jura negata Tibi.
Dum MEUS observans æqui ista RÜDE-
LIUS ausu

Intrepido exquirat; ne sine fine, precor,

Nobilissimo Dn. Respondenti, Conso-
brino honorando, Cathedram Acade-
micam bonis omnibus conscensuro,
hisce gratulatur animitus.

Georgius Heinz, J.U.D.
QVOS

as
TH

Q Vos bene *prensasti* calidâ virtute labores,
RIEDELII, docto detegis, euge! Choro.
Gratulor; Et qui Te, *prensabunt*, arte *reprende*;
Sic si *prensasti*, Te quoque *prendet* Honos.

*Ita suavissimo Dno. Contubernali
suo congratulatur*

5138

PRÆSES.

F I N I S.



W

mc



oro.

S.

IA
III

F
P

D

V

2

ca

mc

3

ULB Halle
002 063 45X





Cui ad
& ex H
nit Poë

S.
pla resp
tii p. 43.
nem tal
restricta
est, non
fatorum
lisco no
Animad
de Imper
ita & Ho
Thomast
CL. Puf
S.
ne intro
donata
orbis co
cit. ll.
PræAda

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000


Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue 3/Color Black

Cyan Green

Yellow Red

Magenta White



us in agris,
apis.
æ populos, aliosq;
de quibus ita ca-
trabunt domos
beras
annua:
us.
né ad hæc exem-
t. ad l. II. c. 2. Gro-
e ibi communio-
ippe limitatam &
s dispositam, hoc
æqualiter dispen-
ium meritò obe-
tureis ad eundem
cus Strauch. diss.
cl. d. l. p. 37. seqq.
t à Celeberrimo
tis in Gentem &
nivers. obs. 3. §. 5.
cum ipsa creatio-
iversi à Creatore
s totius terrarum
supra laudati Viri
ffertore ullos hîc
e præviâ jam jam
jus

